

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pauli Manutii Epistolarum Libri XII

Manuzio, Paolo

Lipsiæ, Apud Johann. Herebord. Klosium, Anno 1707.

VD18 11417161

Liber Primus.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9)



PISTOLARUM PAULI MANUTII

LIBER PRIMUS.

RAINUTIO PARNESIO
CARDINALI CREATO

Romam.

Lib. I. Epistolarum
Manutii.

EPIST. I.

*Gratulatio de dignate Cardinalitia, cum adjuncta
horratione, ut officio hoc recte fungatur.*

*Formula significandi, nos illum, ad quem scribimus,
vel de quo scribimus, semper amasse & magni fecisse.*

Quia virtus est ipsa per se amabilis &c. (A)

*Cardinalis officium quod? (B) Laus familia Far-
mesia. (C)*

(A)

Quia virtus est ipsa per se amabilis, & quia
nobilitati honor & observantia debetur;
amavi te jam inde a tua pueritia, studio
virtutis incensum; & colui, clarissimo genere or-
tum, Pauli III. Pontificis nepotem. Jam tum equi-
dem vidi, prædixiq; multis, qui futurus esses: &
nunc, opinionem, auguriumq; de re meum exitu
com-

A

com-

comprobante, utriqve nostrum gratulor; tibi, cui tribuuntur ea, quæ semper illustria fuerunt, nunc eò magis, quòd à Paulo III. Pontifice tribuuntur; mihi, qui te tua futura dignitate, fretus indole, moribus ingenio tuo, adolescens verè conjecerim. Cardinalis es; optabile & honorificum: sed est in isto honore pondus & labor. Cadunt in eam, quam nunc sustines, personam, virtutes omnes, atq; ita cadunt, ut, si absint, is, qui honore est, honor esse definat, vel sit etiam summa deformitas. (B) Curæ autem, & cogitationes illæ sunt præclaræ illæ, Rainuti te dignæ æternæq; cum gloria conjunctæ, pietatem præcipuè colore, excubare animo pro salute ac dignitate Ecclesiæ: beneficentiam sine spe præmiorum exercere: nihil omninò facere, nihil cogitare, in quo statim decus non eluciat; Nam, ubi paulò videtur obscurius, ibi satis constat turpitudinem inesse, quæ profecto tibi in mentem venire, atqve ob oculos assiduè versari. (C) Cum in avi tui summam gloriam intueris, necesse est, & omninò datum hoc vestro generi divinitus videtur, vobis nascentibus heorum numerus ut augeatur, & quasi maius lumen de sublimi quadam specula, errantibus honestis disciplinis viam & hospitium ostendat; ergò alter alteri exemplo estis ad bene agendum: vobiscum simul & oriuntur virtutes, & cum ætate crescunt, donec vitæ munere perfunctos educant, ex hac rerum humanarum teterrima caligine, & in illa sempiterna luce collocatos, cum illo bonis omnibus circumfluente cœlestium animorum cœtu jungant. Aut igitur mihi nullus tui cohortan-

di

di relictus est locus, aut hic tantum, ut velis esse tui
 quam simillimus; quodque tuo generi, tuo nomi-
 ni, tibi met ipsi, tuisque debes institutis, id cumula-
 te persolvendum existimes. Unum exoptandum,
 ut, qui tibi istam mentem cum ista auctoritate de-
 dit, (dedit autem omnium auctor laudandarum
rerum, & creator Deus) idem velit utriusque rei fru-
 ctum esse maximè diuturnum, & æquare tuæ vitæ
 spacium cum iis bonis, quæ in te summa contulit.
 Profectò tales gubernatores, tam peritos, tam vi-
 gilantes Christiana religio si nunquam non habe-
 ret, nunquam illæ exorirentur dissidentium opini-
 onum horribiles procellæ; quæ jectare multis ab-
 hinc annis Petri navem cœperunt, neque dum con-
 sistere patiuntur. Quo quidem mihi licet omina-
 ri de te idem planè, quod cupio, futurum; ut opti-
 mis artibus, quamdiu vixeris, præsidio sis & orna-
 mento, vivas autem, quam diu vel temperantia
 duce, vel naturæ legelicer. Vale. Venetiis 1544.

ALFONSO CARAFÆ CARD.
 CREATO ROMAM.

EPIST. II.

*Gratulario de dignitate Cardinalitæ, cum adhor-
 tatione.*

*Formula significandi, nos voluptatem & letitiam
 ex alterius rebus secundis percepisse: Solent esse, quæ
 minus expectantur, latiora (A) Formula adhortan-
 di. En habes, Alfonsè, campum, in quo tua virtus
 &c. excurret. (B)*

A 2

Solens

(A) Solent esse, quæ minus expectantur, lætiora
 nihil tamen ista, quæ te auctum nuper accepimus, dignitate neque magis expectatum apud eos, qui tua studia, tuos ad virtutem præclaros impetus noverant, neque jucundius, aut lætitiæ majoris unquam fuit. Nemo enim dubitat, quin eum, qui te nunc ornat, honorem ornaturus aliquando sis, eximia tua gloria bono publico conjuncta. Quod te hortari res ipsa non patitur. Nam, si attendes diligenter, & considerare cum animo tuo, adhibita in consilium ratione, volueris, primum illud, quis te Cardinalem creavit; deinde, quæ Cardinalis partes, quam graves & laboriosæ, quam eadem honorificæ ac splendidæ sint; postremò, quibus temporibus hæc tibi sit imposita persona, quam alienis à virtute, quam turpi omnibus in locis omnium præne scelerum labe fœdatis: profectò ipse te, nullo cujusquam hortatu, à te ipso de tua laude admonitus, excitabis ad excellentem omnium artium honestarum cupiditatem: quæquæ his artibus adversantur, adjicies, atque contemnes, neque solum eò viro, quem in posterum præstare debes, qualemque te fore omnes auguramur, verum indigna prorsus homine judicabis. Vixisti semper antea laudabiliter: fuit in puero pudor: est in adolescente probitas, est perfecta præne ratio, & expetendarum vitandarumque rerum scientia: desiderari videbantur, in qua te ostenderes, occasio. Delata divinitus est omnium maxima singulari consilio summi Pontificis Pauli IV. qui cum sit patruus parentis tui; cum te ab ineunte ætate non mediocriter dilexerit; cum

omnes

omnes suos incredibili quadam complecti caritate
 consueverit: tamen in te honestando alia quadam
 secutus est: dedit honorem non propinquitati, aut
 familiaris, sed tibi ipsi, qui familiaris nomen studeas illu-
 strare, & quo modo principia se dant, studium com-
 probabit eventus. (B) En habes Alphonse campum,
 in quo tua virtus, parva vigiliis, bene agendi con-
 suetudine jam confirmata excurrat: hæc est illa, ad
 quam te exercebas, quo tuæ spectabant curæ, tuo
 ingenio, tuis optimis cogitationibus, ac studiis di-
 gnissima provincia. Ostende, quæ tuæ sit non mo-
 dō voluntatis, verum etiam industriæ præstantia,
 & prome ex animo tuo illa præclara, quæ, ut anti-
 quum gentis tuæ decus, ac domesticam præsentem
 virtutem referres, à pueritia collegisti. Non est
 mihi crede, labor ei, qui bene sentiat, bene facere.
 Quod enim positum est in nobis ipsis, non aliunde
 pendet, non extrinsecus assumitur; in eo quid ob-
 stat, quò minus voluntatem res ipsa consequatur?
 Jam, ipsa virtus invitat, ipsa allicit, atque afficit sui
 studiosos omni voluptate, omnibusque præmiis: nec
 dubito, quin excellens animi tui vis omnes diffi-
 cultates omnia superet humana. Quare gratulor e-
 quidem tibi tua causâ, de isto, quo te extulit Pauli
 Pontificis divina sapientia, honoris altissimo gradu:
 sed ne movet aliquandò magis publica res: quam
 tu traditam tibi simul cum ista dignitate, atque com-
 mendatam, sapè, ac nunc quidem maximè, talium
 virorum ope indigentè, tueberis in omni vita; præ-
 sidiumque erit in te situm adversus injustitiam im-
 pietatemque; firmissimum. Quæ si tibi magna viden-
 tur

tur, atque gloriosa; debes animum sic instituere ac moderari, nihil ut ad te ipsum referas, nihil ipsi tibi arroges, aut à te ipso expectes. Manasse à Deo cuncta puta, qui perennis æternusq; bonorum omnium est fons. Nos enim, ut nos nihil sumus; aliquid autem, atq; adeo plurimum, ut à Deo, & per Deum esse possimus. Vale. Venetiis. M. D. LVII.

STEPHANO SAULIO DECENTIANUM.

EPIST. III.

1. *Gratias agit Saulio de literis ad se scriptis, eumq; rogat, ut id sapius faciat.*

2. *Respondet Saulio à quo ob singularem eloquentiam fuerit laudatus, & eas laudes se non mereri asserit. (C)*

3. *Persequitur etiam omnem suorum studiorum & vitæ seriem. (D)*

4. *Queritur de morte Card. Massai patroni sui. (E)*

Form. Ex literis ad nos scriptis amorem alicujus erga nos aestimare: Magnum est hoc humanitatis & amoris in me tui argumentum &c. (A)

Form. Elegantiam literarum ad nos scriptarum commendare: Mihi declarandum literis existimas, at quib. literis. (B)

Form. Deferre alicui amorem & benevolentiam. Ammirabiliter animum atq; amorem istum tuum cui respondere officiis etsi difficile est, &c. (F)

(A) **M**agnum est hoc, Sauli clarissime, humanitatis & amoris in me tui argumentum, quod

quod, cum in istis locis nunc sis, ubi multam diei partem cum singulari viro, Cardinali Polo, gravissimis sanctissimisq; sermonibus traducas; non modò tamen de me cogites quò ego uno contentus esse poteram, (B) verum etiam id ipsum mihi declarandù literis existimes. At quibus literis? scriptis mehercule, quod ad verba attinet, elegantissimè; quod ad sententias, prudentissimè: ut is lègendis non magis amarem amorem tuum, qui te ad scribendù impulerat, quàm eloquentiam suspicerem, quæ effeceras, ut illa ipsa, quæ scriberes, cum ornatiora essent, amabiliora quoq; viderentur. (C) Quare, cum tibi ago gratias, ut debeo, immortales, quod ita animatus in me sis: tum verò etiam atq; etiam te rogo, in quo me ambitio quædam movet, ut id, quod facis, perpetuò facias. Quanti enim putas ad meam laudem interesse, cum hoc percrebrescit, me à Stephano Saulio diligi? cujus est familia perillustis: qui suæ ipsæ familiæ clarum lumen est: quem præclari illi viri, ejus consuetudine & convictu magnopere delectati, coluerunt Bonamicus, Julius Camillus, Longolius. Hæc ego, Sauli, cum aliquot abhinc annis cogitarem, semper quidem, ut à te diligeret, optavi: ut verò etiam laudarer, optare fortasse potui; sperare, cum ipsi me nossem, certè non debui. At tum in hac parte mecum sæpè perliberaliter egisti. Scripsisti, in hac romanæ lingvæ facultate, non mihi neminem præstare; sed id, quod ego cum legerem, erubui, neminem esse, cui non ipse antecellam. (D) Equidem, ut, quod res est, aperiàm, fateor à prima pueritia ita me in literis esse versatum,

tum, ut unam maximè spectarem eloquentiam, unam colerem, unam admirarer, atq; hoc me studio satis mea sponte flagrantem acrius inflammabant, ii, qui rum homines vivebant. Bembus, Sadoletus, Bonamicus, quorum nomina per orbem terrarum celebrata sermonibus, & scriptis, extingvi nulla vetustate posse intelligebam. Polus hic noster, qui nunc in omni laude, omniq; virtute tantus est, suis me scriptis capiebat, atq; afficiebat maximè. Ego tum, ut erat ætas mea, præter verborum, & nonnullarum sententiarum ornamenta nihil agnoscebam, purè & eleganter scribere, putabam esse id, quod unum si assequerer, excellerem. Sed Rhambertus meus, qui ex Gasparis Contareni, præstantissimi viri, consuetudine prudentiam hauserat, præclara, quædam notabat in Polo; meq; paulo ætate inferiorem, ex vulgata venalium magistrorum disciplina rudem atq; impolitum, erudiebat & conformabat exemplo. Tum quidem, quantum proficerem non me pœnitebat: & ex iis, quæ jeceram fundamentis aliquid ejusmodi, quæle ego vellem, excitari aliquando posse videbatur. Sed in rebus humanis quis est, cui nihil unquam secus accidat? cum in eloquentiæ studio multus essem, nec satis valetudini parcerem, incidi in morbum: qui cum esset per se gravis, tum eò factus est periculosior, quod, usum mihi librorum à medicis interdicto, magna sanè est animi mei affectio, atq; ægritudo consecuta, post biennium deniq; valetudine recuperata, cum præteriti temporis jacturam sarcire diligentia vellem, ad pristina studia redeuntem, exceperunt domestica
contro-

controversiæ, quas neq; sedare nimio negotio, neq; negligere sine gravi mearum fortunarum exitio licebat: His quoq; me difficultatibus aliquando is, qui omnia debeo, eripuit DEUS. Lucem jam quasi diu per tenebras errassem, videbar adspicere: & quanquam, multorum annorum amisso fructu, erat sanè curi gemiscerem, vitamq; mihi haud satis jucundam putarem; tamen, otii spe recreatus, facile impetrabam à me ipso, ut ex animo meo superiorum molestiarum atqve incommodorum memoriam oblivione delerem. Vigebat item, ut antea, pristina illa cura: nec erat quidquam in meis consiliis antiquius, quam ut abditas atqve implicatas in mente cogitationes non modò aperire, atq; explicare verbis, verùm etiam exornare, quasque pigmentis & coloribus illustrare possem. Res erat nec exigui temporis, & maximi laboris, tempus non, quantum rei magnitudo ferret, suppetebat; cum ex vetere patris instituto in hoc imprimendorum librorum munere, & restituendæ antiquitatis cura destinerer, laborem autem, vel si abundarem tempore, perspecta valetudinis meæ ratio recusabat. Utrumq; tamen cum voluntas vinceret, quotidieq; aliquot horas, occupationibus ereptas, stylo darem: ecce me nescio quis, homo certè satis fortuna felix, præmiis commotum, & blanditiis captum, atq; irretitum Romam abduxit, ubi cum aliquot menses non in iis, quæ semper amaveram, litterarum studiis, sed inani officiorum genere consumpsissem, & ille, quem secutus eram, montes aureos pollicitus vix minima præstaret: Collegi ipse me,

me, neq; solum studiorum meorum, quæ intermi-
 seram potius, quam dimiseram, verum etiam rei
 familiaris, cui nisi consulerem, ipsa quoque jacere,
 studia necesse erat, habendam mihi rationem duxi.
 Quo consilio in patriam reversus, retuli me omni-
 no ad veteres meas tum legendi, tum scribendi ex-
 ercitationes: sed tum in domestica re constituenda,
 tum in emendandis antiquorum libris distri-
 ctus, postea verò etiam erudienda duodecim no-
 bilium adolescentium Academia per triennium,
 occupatus, quantulam habuerim excolenda facul-
 tatem eloquentiæ, quantumq; in tantis temporum
 angustiis per eam, quam ingressus eram, latine
 scribendi viam procedere potuerim, facile, ut opi-
 nor, est existimare. Nosti tu, Sauli, cujus acies inge-
 nii etiam ea, quæ occultissima sunt, assequitur, pri-
 mum, cujus prudentiæ sit, quale illud est, quod in
 imitatione sit optimum dijudicare; deinde cujus
 industriæ quod ~~etiam~~ judicamus id re ipsa con-
 sequi. Quod utrumque cum sit difficillimum, id
 quod, ut vides, ætate nostra optimorum scriptorum
 penuria declarat; cum tamen qui hoc in genere e-
 laborent, plurimi sint: satis equidem mirari non
 possum, cur tu me in epistola tua summum feceris
 in eloquentia, dederisq; id, quod ego si accipiam,
 mei sanè dissimillimus, hoc est, impudens planè sim.
 Nam ut cætera, quæ dixi esse ad studium hujusce
 laudis necessaria, mihi non defuerint, quæ utinam
 mediocria fuissent: temporis quidem, ut paulò an-
 tè exposui, multò minus habui, quàm res tanta po-
 stulabat. Farum in hoc singulare meum est, ut otio
 nun-

nunquam abundem. Abundem autem? utinam non semper indigerem maximè, nunc ad occupationem etiam accessit sollicitudo: (E) quam mihi ex immaturo Cardinalis Masæi, divini hominis, interitu extortam, utinam aliquando dies extingvatur: ratio quidem hoc non dum potuit. Ille mea studia fovebat, unus: ille mihi otii spem dederat, & fecisset. Qvis enim ad benignitatē propensior? ille me, ubi opus esset, auctoritate ornabat, consilio monebat, re sustentabat. Quid plura? in illo mihi erant omnia, & cum illo mihi omnia perierunt. Quare non tam mihi cogitandum est, ut opus universum de Romanis antiquitatibus, quod tu dilaudas, illo auctore institutum, possim absolvere, quam ut partem aliquam, jam confectam, liceat perpolire. Quod ipsum si mihi nunc per meas occupationes liceret, hic tamen, qui me vexat, dolor certè non concederet. At me hercule hæc ipsa, quæ tu nunc legis, irrigavi lacrymis, cum scriberem: nec putavi fore, cum tot curis distinerer, ut possem scribere: sed magna vis amoris est, magna observantiæ erga te meæ. Ea fecit, ut hoc officium rebus omnibus anteferrem. Adventus tui jam aliquam nobis expectationem amicorum sermo commoverat. Eam tu quod literis confirmes, valde lætor. Cupio enim tuam tum humanitatem, tum prudentiam, quarum altera tibi ab omnibus amorem, altera etiam honorem conciliat, in consuetudine & sermonibus regustare. Me autem quod hujus consilii præcipuum tibi ais esse causam, facile patior mihi hoc à te, viro gravissimo, perivaderi, (F) amoque
mira-

mirabiliter animum atque amorem istum tuum: cui respondere officiis, etsi difficile est: perpetuo tamen studio, & singulari quodam observantia genere, ut spero, tibi satisfaciam, Vale. Venetiis: 553.

EIDEM DECENTIANO GENUAM REDEUNTI.

EPIST. IV.

Hortatur Saulium ad eloquentiam & antiquos autores imitandos, & suum imitandi modum ostendit.

Judicium de Longolio.

Form. scribendi officium occupationibus preponere: etsi multarum rerum curis atque oneris ita premor &c.

Antiqui quatenus imitandi. (A)

Form: Valedicendi. (B).

ETSI multarum rerum curis atque oneribus ita premor, optime Sauli, ut respirare vix possim; tamen, ut literis tuis, amantissimè scriptis, aliquid responderem, abjeci omnia & officium, quod tibi à me debetur, habui antiquissimum. Video te mihi quodam veteris eloquentia amore ac studio teneri, significant hoc studia tua, declarant scripta, sermones ubique non obscurè testantur. Nā tu rem pul-

pulcherrimam diligis: cujus me quoque forma cepit adolescentem: & de voluntate illa, vel cupiditate potius tantum abest, ut dies aliquid detraxerit, ut cum ætate simul amor creverit. Quare cum tibi ego tam multis in rebus concedam; patere, obsecro te, in hac me unà rivalem esse tuum, nec tibi vel tantillum omninò velle concedere. Sentimus enim idem, quod tu, nihil esse speciosius eloquentia, nihil præstantius: quam ut ipse nosti, amarunt ætate nostra, atque appetière quam plurimi: potiri autem, ut mihi quidem videtur, adhuc nemo potuit. Quis enim Latinæ orationis laudem non magnoperè diligendam dixit? quis porrò rationem & quasi viam, qua pervenire ad eam liceat, nobis indicavit? nam, qui se ita exercent, ut ex veterum scriptis & membra, & integrum quandeq; comprehensionis corpus sua in scripta transferant, non equidem eos reprehendo; si quidem perfecti similitudinē quandam sequuntur; sed quia perfectum ipsum non attingunt, in magna laude non posuerim. Obsecro te, Sauli, qui judicio excellis, quid tibi de Christophoro Longolio videtur? equidem, si quando, quid de scriptis illius existimem, interrogor, ita soleo respondere, exilem esse in sententiis, non luculentum in verbis; ut tamen de eo, si vitæ contigisset usura diuturnior, benè censeam sperandū fuisse. Sed, ut nunc est, mea quidem sententia, nullus est. Quid enim affert exquisitum, quid singulare, quid non vulgatum, non ex quotidiana consuetudine usque sumptum? At scribit interdum & de rebus familiaribus, & ad familiares. Quid tum? quasi non vel
in

in obscuro argumento possit ingenii lumen elucere. Nam quod in eo verborum circuitus sapè à Cicerone totus est: si consultò fecit, quod inde laudem speraret, iudicium requiro. Etenim, aliena quæ sunt, ad nos translata stultè jactamus: ut neminem laudare solemus, quia pulcher, quod accipitur à natura; ac quia temperatus, quia justus, quæ posita sunt in nobis ipsis. Sin, quod potius existimo, inops à Latina lingua explicare animi sensà aliter non potuit; necessitatem excuso: nec tamen, quod faciebat, diutius eum putò facturum fuisse. Qui enim in illo otio Patavino nihil ageret aliud, quam ut se tum eloquentiæ copiis, quæ philosophiam ornant, tum earum artium instrumento, sine quibus muta sit eloquentia; locupletaret; utriusque studio facultatis consecutus esset, ut, suis quasi opibus abundans, de alieno quotidie parcius assumeret, cujus autem generis ea, quæ moriens reliquit, scripta sunt, abesse eum iudicio ab ea specie, quæ est in scribendo optima, longissimè. Quæ de re cum aliquod adhinc annis in conventu amicorum sermo esset ortus, memini dissentire à me amicum hominem, & eruditum: qui Ciceronis in libris diu multumque volutatus, tamen Longolium suscipit, aurea videlicet cum assidue tractet, ærea non internoscit. Itaque paucis post illum sermonem diebus interjectis, cum epistolam ad me misisset, in qua ita scripsit, nihil sibi tam accidisse mirandum, quàm quod à me audisset, cum dicerem, mihi Longoliana scripta non admodum probari: nihil rescripsi, quod homini quinquagenario infitam opinio-

pino
omn
non
prob
cant
bas i
tuen
bo.
licet
nive
mita
mod
gilla
pian
ocris
aut i
sign
meb
prim
bitra
meu
esse
ficer
possi
hau
mih
tent
citu
quæ
nis
ren

pino-

pinionem non speravi me posse evellere. Et sunt omnino quædam res, quas ubi sensu & iudicio ipsi non percipimus atque assequimur, nulla satis oratio probabit; ut cum Anaxagora, nivem atram iudicante, frustra de albedine disputares. (A) Improbas igitur, inquires, si ab antiquitate scribentes mutemur? Ego verò, si aptè fiat, etiam summè probabo. Sed hoc ipsum, Aptè, quam difficile sit, ex eo licet cogitare, quod Latinam linguam continet universam: universa enim sub imitationem cadit, imitandi autem ratio, quia & multiplex est, & admodum recondita: primum, de ea præcipere sigillatim, infinita doctrinæ est: deinde quæ præcipiantur, cognoscere, & perfectè exequi, non mediocris ingenii. Cumque id, quod enitet in oratione, aut in re videatur esse, aut in verbis: ego olim rem significatam simul cum verbis significantibus summebam, eaque meis scriptis cum interuissem, tum optimum illud, quod quæritur imitando, planè arbitrabar me esse consecutum, postea cæpit mihi meum consilium displicere: cogitavi, quoniam id esset memoriæ magis, quam ingenii, quod ego efficerem præstare multos posse, quod autem multi possent, egregium non esse. Tum inivirationem haud paulò difficiliorem, quam cum paucissimis mihi esse communem intelligebam. Exquisitas sententias de Cicerone excerptas, aut de Terentio. tacitus in animo versabam, eas ornabam verbis, quam poteram lectissimis, ut quasi vestitu orationis mutato, cum eadem essent, aliæ tamen viderentur. Erat non dissimilis in verborum figuris

com-

commentatio. Si quas notaveram illustriores ad alias sententias ita traducebam, ut interdum eandem locutionē ad res prope innumerabiles accommodans, quasi ex una cera plures imagines, nec tamen ejusdem generis, effingerem. In hac exercitatione quantum esset, utinam aut maturē cognovissem, aut serō cognitum avideq; arreptum vis occupationum non extorsisset. Equidem, si quis me neget in scribendo quidquam esse, non pugnabo: sed, si quid sum, ab hac una esse contendam. Tibi gratulor, Sauli, qui & vis, quod sentis esse præclarum; & quod vis, nihil impedit, quo minus præstare possis. Otii enim tantum habes, quantum styli exercitatio postulat. Abundas, ut animi, sic fortunæ bonis: in quibus ipsis (Zenonis pace dixerim) non minima, his præsertim temporibus ad virtutem vis est. Ingenio verò ita flores, ut tuam maxime consuetudinem propterea expetierint ii, qui ipsi ingenii gloria præter cæcæ os excellere putabantur. Atq; utinam ea, quæ literis mandasti de homine Christiano, aliquando emittas, ut opinionem, ac sermones de te meos res ipsa confirmet, quod brevi futurum faciliè spero. Recipis enim te nunc in villulas tuas, hoc est, in summum otium: ubi cum nullam tibi horam à studiis vacuum abire patiaris (sic enim & à multis antea cognoveram, & postea Coccius noster confirmavit) expolitionem intra paucos menses expectamus operum tuorum. Quæ de re ut interdum me Decii nostri literis certiore fieri velis, etiam atq; etiam rogo. Pontificis Legatus, Ludovicus Beccatellius, homo antiquæ

pro-

pro
obit
om
& co
gra
test
etia
atq
veh
inte
amo
tum
pol
uno
cur
fa d

de si
lore

vian
sibi
opri
de l

probitatis, humanitate, ac doctrina præstans, post obitum Cardinalis Maffei ita me complexus est, ut omnem in meis commodis atq; ornamentis curam & cogitationem fixisse videatur. Cui non tam à me gratiæ sunt habendæ, quod agit ipse quantum potest, ac plus etiam, quàm potest; quàm quod alios etiam, magnos & principes viros ad me augendum atq; honestandum suo exemplo, atq; auctoritate, vehementer excitat. Qui cum multi sint, tua tamen inter omnes elucet liberalitas: qui, re vix audita, amore in me tuo, studio erga literas incitatus, tantum tua sponte ad hanc provinciam conferre velle pollicitus es, (B) quantum ex animo meo nulla unquam delebit oblivio. Vale, tuamq; valetudinem cum tua, tum nostra etiam, qui à te pendemus, causa diligenter cura. Venetis, 1553.

EIDEM GENUAM.

EPIST. V.

Querela de triplici causa doloris, videlicet de morte fratris, de morbo uxoris, & anniversario oculorum dolore: cui brevem subjungit consolationem.

Hic tu me, Respondet Saulio qui autor ipsi fuerat, ut viam ad Latinam eloquentiam alii aperiet: & negat eam sibi facultatem esse, ostenditq; ipsum Saulium hoc omnium optimè posse præstare, adducto testimonio Cardinalis Poli, de libro Saulii, quo scripsit de homine Christiano. (B)

NB. Requistæ eorum, qui volunt libros scribere. (C)

Legulejorum barbarorum iudicium de suis scriptis contemnit. (E)

Fontes sitiunt. (D)

Form. Significare nos solatium ex amici literis cepisse: Magnum mihi solatium attulit Epistola tua. (A)

(A) **M**agnum mihi solatium attulit Epistola tua: jucunditatem dicere non possum, quam tempora eripiunt, sic, ut me tristitiæ totum pænè tradiderim. Ac primum, obiisse audio fratrem meum Bononiæ, cum valeret optimè, repentino morbo oppressum. Fratrem cum dico, me alterum jure naturæ dico: verum addo illud, obierit, si vera narrantur, frater is, qui bonitate præstabat, valebat ingenio, excellebat industria, factus ad omnia maximè omnium videbatur. Itaque obruor dolore: nec, puto, emergam, nisi aut illi melius esse cogno vero, aut, si naturæ satisfecit, opem tulerit ipsa dies: quæ valet ad omnia plurimum. Animi verò morbis plus etiam interdum, quam ratio, me detur. Ad hanc ægritudinem accedunt, domestica, meaque propria. Uxor, cujus præcipuè studio res familiaris, ac domus tota nititur, quæ me multis molestiis, multarumque rerum & curarum onere levabat, quæ meam valetudinem præsentī semper officio tuebatur, ipsa nunc jacet, periculi non expers, affectis diuturno morbo viribus. Ego vexor acerbissimè anniversariis oculo-

rura

rum doloribus: quos sanare, cum jam p[er]ne tenta-
ta sint omnia, humanæ artis esse non puto. Remedia
sunt ab uno illo, qui malis cunctis medetur,
cœlesti medico expetenda: is mihi optimam, ut
spero, valerudinem aliquando restituet: si hoc
minus, muniet me saltem ea virtute, qua res ad-
verit[er] facile perferuntur. Ita salus ex morbo na-
scetur, non hæc, qua corpus viget, quam ego ad-
huc omni remedium genere frustra quaesivi, quæ
cum ipso corpore paucorum annorum spatio peni-
tus exstinguetur: sed illa multo præstantior, quæ
nostræ mentes, cum sese ab hac terrestri labe se jun-
xerint, & cum purissimo illo cœlestium animorum
cœtu consociaverint, perpetuò fruuntur. Inte-
rim, tot in me concurrentibus malis, ægrè impe-
rum sustineo, planeque quoniam homo sum, de-
bilitor advertis. (B) Hic tu me vocas ad scriben-
dum, & hortaris, ut ea tradam literis, quæ assiduo
latine lingue usu & diurna tibi videor exercitatio-
ne consecutus. Vis me scilicet, optime Sauli, eam
viam, quæ ad eloquentiam ducit, aperire. Spis-
sum opus, ac difficile, multo otii, tranquillæ men-
tis, non nostræ fortunæ, cujus tibi imaginem osten-
di, neque nostrorum nervorum, quos tu putas esse
fatis firmos; ego quàm sint imbecilli, experior.
sæpe, ac sentio. At erunt præclari conatus, etiam
si non succedat. Si ita est, hæc laude nemo exclu-
ditur, potest aggredi, qui vult: velle autem quis
non debet? siquidem egregia cupientem aliqua-
vel ex hoc ipso gloria consequetur. Te si quem-
quam, Sauli doctissime, te, inquam, ipsum deceat

B 2

maxi

maximè omnium id suscipere, quod mihi imponis. Quæ enim sunt ad hoc munus necessaria, quorum alius alia defunt, ea in se uno abundant omnia; ingenium, usus diuturnus, doctrina, iudicium, Quid? opes, & fortuna numquid huc pertinent? illæ verò, mea sententia, vel maximè. Cursum enim ingeniorum retargat, vires debilitat, ac frangit inopia. Aut tu putas Aristotelem & Platonem, illa Græciæ lumina, an Ciceronem nostrum, an Plinium tam multa potuisse literis mandare, nisi summum illis otium rerum omnium affluentia peperisset? domi alebant servos eruditos: contubernales habebant, eximiis præmiis accersitos ex ultimis terris, rhetores, historicos, præstantis ingenii, singularis doctrinæ philosophos, cum his se quotidie exercebant, commentabantur, disputabant: horum omnium opera, quatenus liberet, utebantur: at ego sumptum unius pueri, minima, mercede conducti, quo inscribendo utor, ægrè sustineo. Et in his augustiis in hac mea tam tenui valetudine, tam adversa fortuna, quia rudes homines veteris eloquentiæ cupidos, meis scriptis non erudito, nec in rectam Latine scribendi viam induco, appellas me, quasi malum debitorem, atque etiam accusas, verbis tu quidem humanissimis, & alieno, ut videris, nomine, re tamen ipsa graviter, & ut ego interpretor, tuo iudicio: quod vereor imprimis, facioque, sicuti debeo, plurimi. Veruntamen videre te puto, quam facultatem res desideret. Quid autem præstari à me possit, nemo omnium, qui vivunt, me ipso melius intelligit. Quare noli mihi

mihi langvorem, aut desidiā obijcere, quā abesse
 procul à me, qui ante ad meā vitā cursū inspi-
 ciet atque examinabit, facile cognoscat. Satis ha-
 beas, si nemo istam in te culpam conferat, qui cum
 ingenio praestes, aetatem omnem in Latina lingua
 contriveris. Ex quo factum est, ut eam perfectè
 calleas; id quod tuorum scriptorum subtilitas & e-
 legantia declarat: cum valetudinem non desideres:
 otio parè dissuas: addo etiam illud: cum optimè
 tibi cum fortuna conveniat, quā tibi de suis bonis
 tantum elargita est, ut erogare quantavis pecuni-
 am in homines doctos: eorumque studia nullo tuo
 incommodo possis: hæc cum in te sint omnia, eaque
 ut ego arbitror summa, non minima quidem cer-
 tē: abstines tamen ab hoc munere, & hortaris ali-
 os, nulla tibi re præterquam voluntate & studio
 conferendos. (D) Quis non miretur sitire fontes?
 sitiunt enim certē, cum tu petis à me tanquam ex
 arido solo, quod in teipso uberrimum esse constat;
 & cum ad nostram potius inopiam confugere,
 quam tuis copiis uti vis. Hoc loco mihi venit in-
 mentem, tuam quoque causam, non modò meam,
 meditati, quod tu fortasse respondeas. Distin-
 gves illa superiora: negabis in te uno esse omnia,
 quā dixi esse de latina lingua scribentibus necessa-
 ria, de fortuna concedes; patet enim; etiam opi-
 nor, de valetudine, de otio: ingenii laudem & do-
 ctrinā, quā tua modestia est, abs te rejicies, fortas-
 se etiam, quā tui est in me animi propensio, quā
 humanitas, ad me transferes. Nolim equidem te-
 eum, Sauli, ne in tua quidem laude contende-

re : verum, quod tu mihi de te ipso non credes. credent alii, verumque fatebuntur, adducti in hanc sententiam, ac planè confirmati, non tam auctoritate mea, quam tamen, in his præsertim elegantioribus literis, in quibus jam tot annos versor, non esse nullam intelligo, quam tuo ipsius testimonio, quod habet ponderis apud bonos ac sapientes viros in omni re plurimum. Te, inquam, ipso teste locuplete, cui fides habenda, videatur, probabo tuam virtutem. Oblitusne es, aut oblitum me putas illius temporis, cum tu librum tuum de homine Christiano mihi ostendisti? bone DEUS, quam in illo multa præclara, cujus industria, cujus prudentia, quam à te graviter, quam copiosè, quam splendidè tractata. Neque verò ego unus illum librum, vidère alii, vidit, qui vir, & quantus? Reginaldus Polus Cardinalis, qui potest esse instar omnium, quem tu perfectò judicem in re tua nunquam recusabis. Hunc ego audiui, audivère multi, de tuo interdum libro loquentem: Ornabat laudibus, (& est homo ut scis, natura simplex, rectus; cujus ab intimo sensu nunquam ne minimum quidem aut vultus, aut oratio discrepet) quid plura? conferendum cum antiquitate judicabat. Quamobrem redeo illuc & concludo paucis, Magni facis eloquentiam, cupis eam cognosci, cupis amari & coli. Egregia cupiditas, & nobili sanè viro digna: verum, ut tibi satisfacias & invenias exitum studii tui, elige de duobus utrum vis. Aut ipse qui potes, ostende nobis Latina lingua pulchritudinem ac præstantiam: doce nos

nos, doce posteros, quæ sit ejus adipiscenda & perfructuenda ratio ineunda: aut si quos existimas hoc præstare posse, excita eos liberalitate, fove tuis copiis: noli pati, animum eorum hac & illa cura distrahi: sit intentus, & fixus hoc uno in studio; neque adducat eum ab opere pulcherrimo, ac nobilissimo, humilitas interdum rei, turpis & sordida procuratio. Ita consequeris facile, quod vis: optimisq; studiis & posteritati magna tua cum laude contulles, illa, quæ scribis de legulejis quibusdam in meum librum de Romanis legibus, detrahendi studio incurrentibus, legi nullo cum stomacho nec sum miratus, à barbaris hominibus sordido quodam literarum genere assvetis, elegantioris doctrinæ scientiam & quasi lautitiam quandam studiorum contemni. Non placet istis meus liber: magnis videlicet viris, quorum famæ ædium illarum, in quibus ipsi habitant, limia nondum est egressa. At placet Vincentio Portulacæ, cujus est in urbe Brixia insignis auctoritas, illustre per Italianam nomen; placet Antonio Augustino, Marco Antonio Natta, Lælio Taurello, Vido Pancirolo, juris utriusq; scientia claris, quorum nomina, scriptis egregiis testata virtus, atq; expressa cum æternitate conjunger. Hos ego meorum laborum & vigiliarum laudatores cum audio, viros graves, certos, omniumq; nobilissimos; (E) vœculas raucæ plebeculæ contemno, quidq; leves, & obscuri homines de me sentiant, aut loquantur, non esse mihi valde laborandum existimo, te quoq; sperabam in meis præfidiis esse, & si qui urgerent gravius, obistere

stere, impetumque invidiæ, & malevolentia tua, auctoritate, ac testimonio frangi. Quod si facis, fructum sero meæ singularis in te observantiæ, & habeo tibi, quam debeo, gratiam: sin minus, hoc tamen nomine tibi debeo, quod meos obtrectatores flocci facis usque; eò ut indignos, quibus respondeatur, existimes. Vale. Venetiis, 1558.

VIDO FABRO PATA- VIUM.

EPIST. VI.

Querela morte Bunelli.

Formul. Exordiendi à dubitatione. Nescio utrum fortunæ succenseamus. (A)

Bunelli laus. (B)

Form. Tenuitatem suam fateri: Reliqua erant, in epistola tua. (C)

(A) **N**escio, utrum fortunæ succenseam, cuius culpa factum sit, ut ego tuas literas duobus ferè mensibus post eum diem, quo tu scripseras, acceperim: an eidem gratias habeam, quod mihi, arculam quandam scriptorum meorum evolventi, planeque aliud agenti, de improvviso illas obtulerit. Gratias habebo potius: quòd eodem tempore simul cum injuria beneficium accepi, & injuriæ beneficium præferri, æquum est. Sed quoniam vereor, ne tarditatem in scribendo me-

am

am
vide
tam
me
nun
tera
dice
meo
sic f
cepi
null
enn
tute
cred
cess
levia
quæ
lūm
xim
Phil
cam
am p
tura
hoc
for a
na,
neq
eruc
tis se
ne in
Bun

am durius acceperis, hunc tu mihi scrupulum, vide, si ex animo evelleres, faceres humane, nec tamen inique: cum hoc ipsum, quod commissum à me est, primum ex aliena culpa pendeat, deinde, nunc quidem etiam corrigatur. Venio ad tuas literas, quibus mihi gratius nihil potuit accidere: dicerem jucundius, nisi clausula illa de Bunello meo planè omnem jucunditatem eriperet. Nam sic fac existimes, ex illius viri interitu tantum me cepisse dolorem, quantum fortasse dies exhaurire nulla poterit. Vixerat mecum Venetiis per quadriennium: cum ego in illo probitatem morum, virtutemque diligerem: ille in me propensionem, credo, quandam ad literas non improbaret. Intercessere etiam inter nos officia quædam, sed à me levia, nec satis digna, quæ memoria tenerentur: quæ tamen ille, ut erat gratus, non meminisse solum, sed prædicare etiam solebat. Ego ab illo maximum habebam beneficium, quod me, cum Philelpis & Campanis nescio quibus (ut aliis parcam) miserè errantem, in hanc rectè scribendi viam primus induxerat. Videbatur quibusdam natura severior; sepe erat lenissimus erga sui similes, hoc est, erga bonos viros: ubi vitium nosset, censor acerrimus. Distingvere homines non fortuna, sed moribus solebat. Loqui ad voluntatem, neque ipse poterat, neque ferre qui ad istam artem eruditus esset: totus erat apertus & simplex, satis scio fuisse, qui illum depravatæ religionis nomine in crimen vocaverint. Quorum vitam si cum Bunelli vita comparares, Socratem diceres iniquo-

rum conspiratione circum ventum. Coluit omnes virtutes & philosopho dignas & homine Christiano, sed continentiam præter cæteras. Hac verò ille triumphavit maximè & triumphavit adolescens, cum cæteros voluptas capit. Quo mirandum est minus, sitantus postea vir ex tanto adolescente factus est. Nam extremam vitæ partem, quam, ut in fabula actum, decet esse perfectissimam, heroicam audio, fuisse, & planè divinam. Quare incumbamus, ô Vide, & hanc operam Bunello nostro navemus, ut illius nomen, immortalitate dignissimum, (B) extingvi mortali cum corpore non finamus. Quod equidem enitar; & hominis mihi amicissimi, summi viri, memoriam (si modo is ego sum, qui tantum præstare possim) profectò ab interitu vindicabo. Video te in tuis literis idem vellem: nec dubio, quin possis. Nam & Bunellum amas mortuum: & vales plurimum ingenio; quod etiam pietas excitabit, cujus officii societas eo gratior utriq; nostrum esse debet; quod cum apud alios laudabilis maximè erit, illustri exemplo gratiæ referendæ; tum ad animos nostros amore conjungendos, æternaque necessitudine conglutinandos, plus valere nihil potest. (C) Reliqua erant in epistola tua magnifica quædam, & eleganter scripta de laudibus parentis mei; quæ verissima, fateor; quædam etiam de me ipso, quæ non agnosco. Nam, etsi tibi, nobilissimo adolescenti, multis non solum fortunæ, sed etiam naturæ, doctrinæque bonis ornato, & quod caput est, virtutis amanti, placere maximè velim: tamen, quia nemo adhuc à me

hoc

hoc impetravit, ut ea mihi adsciscerem, quæ mea non essent, patere, obsecro te, de me ipso mihi potius me credere, quam tibi. Quod si, cupidum esse laudis, laudem esse vis: isto me licet nomine non contemnas: quod ea, quæ habent ii, qui laudabiles dicuntur, ego eadem ut haberem, semper laboravi. Sed scis, velle, & perficere, non idem esse. Alterum contingit multis, alterum duntaxat iis, quos dii diligere putantur. Quorum ego te in numero, optime Vide, præstanti natura præditum, Bunelli præceptis informatum, confido facile futurum. Vale. Venetiis.

MARCELLO CERVINO
CARD. ROMAN.

EPIST. VII.

Excusat se de raritate literarum.

Cardinal. Cervini & Farnesi in se studia sua propensum animum laudat. (A) Quod videlicet viros doctos & inter hos Hieronymum Ferrarium foveant, & libros Græcos Bibliotheca Palatina typis subjicere cogitent. (A)

POSTEA QUAM Roma discessi, etsi tum mea vetus in te observantia, tum tua in me, perpetua benevolentia postulare videbatur, ut ad te quam sæpius scriberem; tamen id non feci; propterea, quod omne otium, atque omnem etiam mentis tranquill-

qvillitatem molestæ imprimis ademerunt occupationes: quarum me, cum primum huc reverti, tantus æstus absorbuit, ut longo intervallo vix emerferim. Nam primum domesticas res ita malè affectas offendi, ut eas servare, multi temporis, non exigui laboris, etiam alicujus artis esset. Deinde cum illa, quam scis in meis epistolis nutu tantum, appellari, inimica natio virtutis ac diligentiae, quæ etiam patri meo, viro optimo, (& adde si quid vis) negotium exhibuit, ad me vexandum, atq; opprimendum conspirasset: durius habui negotium, ut meas fortunas in tuto collocarem. Sed me, qui antea præsto mihi semper affuit laboranti, idem in hoc potissimum discrimine egentem opis & Consilii, nec mediocriter de toto rerum mearum statu sollicitum, respexit ac liberavit DEUS. Itaq; omni planè molestia perfunctus esse mihi videor. Quid quæris? aliqua etiam officii specie ab iisdem observamur: ac se satis aptè simulationis, ut opinor, artificio tuentur. Accipere tamen quod datur, quo eunq; animo detur, inscitiae non est: nec hodierni mores, & ratio temporum secus postulat. Cætera sunt in meis rebus non planè cujusmodi nos optabamus, sed cujusmodi tamen multi non sperarunt: quibus hæc, quæ nunc agimus, amplissima videntur esse, cum nos præiis, quæ, nisi quis casus nostris consiliis occurrerit, agere aliquando cogitamus, tenuissima judicemus. Quam quidem ad rem quod tu omnia, quæ in te sunt, liberalissimè polliceris; quodq; Alexandrum etiam Farnesium: præstantem (A) omni virtute Cardinalem, in eandem

de
te
re
po
am
ter
ter
an
eu
fir
san
am
lau
fac
Hi
tur
xit
vid
cur
tis
cre
diu
tes
de
ve
jan
ve
ne
op
ma
top

dem rationē propensum esse affirmas: eq̄videm de
te sic existimo: & multas esse res, in quibus juvari à
te pro tua summa tū dignitate, tū etiam fortuna
possim: & in iis rebus nunquam omnino mihi tu-
am esse humanitatem defuturam: Farnesium au-
tem, divinum adolescentem, natum ad liberalita-
tem, & ad gloriam, non miror eo esse erga virtutem
animo, q̄vo q̄via semper fuit avus ejus, idcirco ad
eum gradura, q̄vi est in terris summus, & augustis-
simus, diis hominibusq̄; volentibus, ascendit. Ac
sane ille cum domestico exemplo, tū multò eti-
am magis, egregia ipsius natura ad immortalitatis
laudem excitatus, s̄p̄e alias, quanti bonas artes
faceret, ostendit, sed proximè vel in primis, cum
Hieronymum Ferrarium, juvenem, rarissimæ vir-
tutis, sanè q̄vām pro ejus meritis ornavit, atq̄; au-
xit. In q̄vo, cum apud unum posuisse beneficium
videatur, à multis tamen gratiam inivit. Nam,
cum vos, tales viri, patrocinium literarum suscipi-
tis: q̄vicunq̄; bonis artibus delectantur, animo re-
creati, veniunt in spem aliquando fore, ut, post
diuturnos labores, & molestiarum quasi tempesta-
tes, in quietis & otii portum, vobis aspirantibus,
deferantur. Q̄vos si in cursu studiorum instituto
vestra benignitatis aura deficiat, hærebunt, neq̄e
jam poterunt, q̄vò intendebant, sine ope auxilioq̄;
vestro pervenire. Verū hujusmodi dubitatio-
nem vestra jam consuetudo sustulit: magna enim
optimæ voluntatis documenta s̄p̄issimè dedistis,
majora etiam dare cogitatis; cum q̄videm, ut An-
tonius Bladus ad me detulit, pulcherrimam rem,
& vobis

& vobis dignissimam aggressi; omnes libros Græcè scriptos, qui nunc in bibliotheca Palatina conditi asservantur, prælo subicere cogitetis; ut multiplicatis exemplaribus per orbem terrarum, in usum omnium gentium, omniumq; seculorum, divulgentur. Cui se muneri Bladus à te esse prapositum ajebat: (D) itaq; venisse ad nos, ut & eos typos, quibus atramento illitis charta imprimitur, conflandos curaret, & si qua præterea sunt ad opus necessaria, maturaret. Sanè sum lætatus plurimum; hominemq; tuā sponte diligentissimum, tamen cohortari non desino, ut in ea re, quæ ad commodum studiorum, maximè verò ad tuam, ut ego sentio, gloriam spectat, operæ ne parcat: eiq; dixi, ut ad omnia me & fratribus uteretur. Neq; minus prolixè, quæ verbis pollicitus sum, ubi ille petierit, re præstabo. Nam & hominem diligo, & verò tua voluntas maximi est apud me ponderis. In Romulo quidem tuo, quem initio sum complexus ut fratrem tuum, deinde amare cœpi, ut te fratre dignum, nihil prætermittò, quod aut in officio cohortandi, aut etiam in studio juvandi positum sit. Sed ille, cui notissimæ sunt occupationes meæ, pudore, credo, facit, ut rarius ad me scribat: cum mihi, vel in maximis negotiis, ei vacare, non modò non molestum, sed etiam gratissimum sit. Quod tu, si videbitur, ad illum scribes, simulq; literis admonebis, ut quo consilio Patavium est profectus, id studio & diligentia consequatur. Neq; tamen hoc dico, quod eum adhuc quidem lapsum esse putem; de quo etiam ea, quæ

volu-

vol
mit
reo

B

Epis
ob d

U

hon
dot
de
ipsa
opt
mul
tua
nor
acce
ant
Por
& ip
mil

volumus, & videmus, & audiamus: sed quod in firmitatem ejus ætatis cum recordor, interdum vereor, ut possit consistere., Vale. Venetiis. 1539.

BERNHARDINO MAFÆIO EPISCOPO CREATO

Romam.

EPIST. VIII.

Gratulatio de Episcopatu ad Mafæjum: ubi agit de Episcopatus munere, & illi Mafæjum aptum ostendit cum ob doctrinam, tum ob eloquentiam.

UBi te audiui Episcopum esse creatum, lætatus sum non tam ob ipsam rem, quæ sanè est perhonorifica, propterea, quod Episcopatus & Sacerdotium est, & maximum Sacerdotium: quàm quia, de te ipso cogitans, intelligebam te eum esse, cui ad ipsam honestandam dignitatem summa facultas in optima voluntate non deesset. Tibi erunt, quæ multis solent esse laboriosa, virtus & vigilantia, ex tua vetere consuetudine facillima. Non enim honorem quasi legem bonitatis, ad quam te fingeres, accepisti; sed ad honorem bonus accessisti: multis antea, magnisque rebus Paulo III. probatus: cui Pontifici? omnium sapientissimo & optimo: qui & ipso Deo probatus est, & non probat nisi sui similes. Gratulor igitur tibi, non ut gratulantur, qui

qui

qui ferè, quibus fructibus auctus sis, unum cogitant
 cætera magnopere non spectant: sed ut ii, quibus
 dignitas, & religio prima sunt: quæ tu coles maxi-
 mè, & eris in Christi militia antesignantus. Gravem
 sanè personam Episcopi sustineris. Vestrum est,
 errantes animos in viam reducere. Et reducit vos
 quidem præceptis divinæ doctrinæ tradendis: sed
 magna vis est in exemplo, cum ea, quæ traditis ipsi
 vita & moribus exprimitis. Quod tu præstabis u-
 trumque omnium maximè: qui & habes non do-
 ctrinam modò, verum etiam eloquentiam. Qua-
 rum altera imperitos erudias, altera longven-
 tes excites: & vivis, ut homo, satis extra culpam. Quod
 memini me multis adhinc annis in tua prima ado-
 leſcentia miratum; cum eam te laudarem, quæ ta-
 men imitari vix poteram. Quod fecisti adolescens,
 cum tua te singularis, optimaque natura ad decus
 invitaret, & quasi manu prehensum duceret: nunc
 ætate confirmata, cum ad voluntatem accesserit,
 ratio, dubitem, quin idem multò sis alacrius con-
 stantiusque factururus? dubitet, qui te ignorat: mihi
 cui tua studia, tui sensus ex nostrâ familiaritate no-
 tissimi sunt, dubitare non licet. Quare, ut ad prima
 redeam, non eo solum nomine tibi gratulor. Quod
 Episcopus es, in summa dignitate constitutus: quod
 tibi scis esse commune cum multis; sed quod is es,
 qui cum ista dignitate virtutè æquare possis. Quod
 quia vides quam non multi potuerint, eò magis tu,
 qui potes, hoc ipsum, quod potes, acceptum DEO
 referre debes, tantumque munus in te collatum, il-
 lud quidem plurimi facere: Sed quoniam est pro-
 prii

pri
mu
Ver

am
rat

ex
re
stu
&c

H
Ka
No
ha
qv
te
va
illu
lic
cu
Et
no
in

prii erga te amoris argumentum, muneris causam multo, quam ipsum munus, plus æstimare. Vale. Venetiis. Kal. Maji. 1542.

GABRIELI CATIANO,
BRIXIAM.

EPIST. IX.

Hortatur Catianum egrotantem, ut valetudinem suam diligenter curet, & potius opus Juridicum, quod parat, deponat, quam valetudini minus serviat.

Formul. dubitand., an majorem letitiam an dolorem ex amici literis ceperimus. Venio igitur ad priorem, in qua cætera jucundissima. Illud permolestum, quod te minus commodè significas valere, &c. (A)

Epistolas à te habeo duas: utramque scriptam elegantissimè, sed illam plenior, quam XI. Kal. Septemb. dederas: nam hæc recentior, cui Nonarum Oct. dies erat adscripta, argumentum habuit ferè nullum. (A) Venio igitur ad priorem, in qua cætera jucundissima. Illud permolestum, quod te minus commodè significas valere: scribis enim, valdè te ob adversam valetudinem vereri, ne non illud, quod instituisti, absolvere ac perpoliri tibi liceat. Mi Catiane, excita prudentiam tuam; & occurre morbi principiis; ne ille gravior deinde factus, & te, & amicos tuos, qui, te ægrotante, valere non possum diutius vexet. Hoc loco mihi veniunt in mentem, quæ tu me olim, minus rectè cum haberem,

C

berem,

berem, prudentissimè, & amantissimè monuisti. Illa, illa ipse tibi nunc in memoriam redige; & quæ tuæ tunc partes erant, eas nunc fac esse meas. Tu mihi non ex Hippocrate, aut Galeno, sed ex veterum philosophorum libris ea remedia, quibus ad salutem meam præstantius esse nihil potuit, attulisti: ego nunc idem in te facio, tuamque tibi medicinam restituo. Vis, quæ meum morbum te medente sanarunt, ea tuo ipse in morbo prætermittere? non vis, opinor. Non enim id te dignum est: quia ea sæpe legisti, unde homines aliis cavere cum discant, sibi eos non cavere turpe est. Quare adhibe eam, quam ad omnes res soles, ad te curandum diligentiam: & quod oneris suscepisse te scribis, id si gravius videtur, quam ut perferre possis, depone prius, quam opprimare. Magnum est quod moliris, & magni non solum ingenii, quo tu non egres, sed etiam otii: quo nisi abundas, quo modo te speres ea, quæ in iure civili dispersa sunt, quæ scis esse minimè pauca, primum posse cogere, deinde coacta ita disponere, ut ex certis generibus totum jus civile cognoscatur? atque ego tamen sic existimo: si quis est, qui hoc præstare possit, aut eum te esse, aut omnino neminem: sed, quoniam res, & fortunæ tuæ, quemadmodum te quidem affirmas, ita fuerunt, ut in forum tibi necessarii sit eundum; quæ ratio, si modo & tibi, & populo placere velis, multi temporis exercitationem desiderat: hæc autem, quæ à te est juris civilis instituta digestio, ejusmodi est, ut nihil operosius existimetur: vereor, ne duarum rerum difficillimarum tractatione distractus, utramque dum

du
fun
fun
re
ber
sol
mi
bis
rim
exi
eun
qua
pro
Do
pti
tan
tuo
ero
app
in
gra
pa
mil
cer
à m
git
opi
doc
me
to,
Val

dum vis, neutram assequare. Quamobrem, quid suscipias, tui consilii est: ego monendi partes, quæ sunt prudentiæ, non assumo: neque enim plus ulla in re me existimo videre, quam tu vides: id, quod est benevolentia mea, faciam, ut magnopere te non solum horter, verum etiam rogem, valetudini tuæ minus, quam gloriæ, ne servias: quæ quidem nobis, qui te summè diligimus, tantæ curæ est, ut plurimas nostræ salutis partes in tua salute positas existimemus. De Alciati libro, valde de amo: sed, eum, hoc quidem tempore, cur mittas, non est. Sunt quædam quæ magis urgent. Quæ scis à nobis anno proximo superiore instituta, jam pænè absolvimus. Domestica fere sunt, ut volumus, fratres valent optimè, ego sicut soleo, hoc est, etsi non optimè, sic tamen, ut studiis nostris frui liceat. Quod si perpetuò derur, equidem hac mea tenuitate contentus ero; illam firmitatem, illa athletarum latera non appeto: neque mihi unquam de natura quæri veniet in mentem, quæ me corpusculo finxerit imbecillo: gratias agam potius, quod affecerit, ut omnibus pænè horis adversæ valetudinis metu, spectanda mihi ratio sit, & continentiam quæ virtus est, aut certè ad virtutem ducit, cogar, amplecti. Amamur à multis: si modo lex vultu & verbis amor intelligitur: colimur etiam à nonnullis, qui, falsa de nobis opinione adducti, nostram consuetudinem, quasi docti hominis, videntur expetere. Quibus ego si me patefecero, facilè hunc errorem eripiam, & puto, faciam: ne totos dies saluatoribus tribuam. Vale, Venetiis. 1543.

FRANCISCO LUISINO
PATAVIUM.

EPIST. X.

Hortatur Fr. Luisinum, ut in excolendo Eloquentia studio pergat, & se duobus aliis tertium adjungat.

*Form. Excusandi raritatem in scribendo: Sine-
fcis, quantum ego amoris nostro tribuam, cogno-
sce ex hoc, &c.*

*Form. Adulationis speciem à se remove: Non sum
natura blandus. (A)*

*Form. Afferendi: Sed mihi hoc velim credas
&c. (B)*

Si nescis, Luisine, quantum ego amoris nostro tribuam; cognosce ex hoc, quod ad superioribus mensibus licere mihi per eum putavi ad tuas literas, humanissimè scriptas, nihil respondere; & nunc eodem fretus, etiam malè respondeo. Non est hoc, inquis, officium colere. Quasi jam probaveris, quia non coluerim, ideo me turpem esse. Non placet ita duris legibus amicitiam astringi, ut nunquam relaxentur. Summam diligentiam maximis in rebus si ab amico requiris, jure facis: sed si etiam in minimis, non æquus es. Est enim profectò quædam suavitas in negligentia: quam qui ex amicitia tollit. Horridior est, quam ut urbani mores ferre possint. Quare, si amabilis esse vis, (quanquam quis te uno amabilior est?) verumta-
men,

men, si id tibi propositum est, ut omnibus in rebus æque amabilis, æque jucundus sis: permitte mihi, ut liceat aliquando tecum esse negligentem. Nam, quod at tuas literas attinet, ita iudico, scriptas esse non solum eleganter, in quo tamen non minima laus est, sed etiam sapienter: quod quia solet ab ætate tua longius abesse, non solum laude, sed etiam admiratione dignum est. Vitium hoc in plerisque adolescentibus, atque etiam in robustioribus quibusdam fama celebratis animadverto, ut inania colligant, & eloquentiam non ut veteres illi, in sententiis & verbis à commune consuetudine alienis, sed in quibusdam vulgaribus, ac penè puerilibus ineptis constituent. Quocirca non ego te, Luifine, hortabor, ut ex ista imperitè scribentum turba te eximas: sed gratulabor potius, quod ita effecisti, ut hortationi locum non reliqueris. Hoc, cum adolescens adhuc, & penè imberbis, nondum ea prudentia, quæ extrinsecus assumitur, propter ætatem copiosè instructus, naturali quadam ingenii facultate, & assidua Ciceronis lectione sis consecutus: cum illa accesserint Aristotelica, in quibus nunc totus es, usumque rerum, qui in adolescentem non cadit, percallueris, qualem te virum futurum putemus? (A) non sum natura blandus: neque soleo cuiusquam auribus inservire: potius offendit quosdam libertas mea. Itaque, quod dicturus sum, gratiæ causa dictum ne putato. Si quando accidit, ut interroger de iis, qui antiquam illam perfectè scribendi laudem posse nobis videantur jam penè amissam restituere, soleo te duobus præstantissimi

adolescentibus, meis familiarissimis, Calino, & Amaltheo, tertium inferere. Calinum puto, non nosti, qui clarissimum juvenem Aloysium Cornelium singularis viri, Johannis Cornelii filium in Cyprum insulam secutus tertium jam annum abest. (B) Sed mihi hoc velim credas affirmanti, ea bona, quæ magister tuus Aristoteles laudabilia esse dicit, omnia ferè in illo adolescente aut esse jam, aut brevi, ut ego auguror, futura. De Amaltheo autem quid sentiam, non expectas opinor, ut significem, neque; ut ego tibi eum quasi latentem indicem, quem in illustri quadam specula virtus constituit. Quare conjunge te cum his, & eloquentiam tres optimi adolescentes, ætate ferè pares, concordii studio, sicuti pulcherrimam virginem, diligite. Quod si me etiam socium recipitis, & rivalem in hoc amore fertis: erit præclara consensio: & Latinæ lingvæ formam quam superioribus temporibus turpi barbarie vitiatam, nunc agnoscere vix possumus, posthac, ut opinio mea fert, intactam, illibatamque; tuebimur. Vale. Venetiis. 1547.

PAULO CONTARENO VENETIAS.

EPIST. XI.

Hortatur Contarenum, à quo locorum intervallo dijunctus erat, ut crebras ad se literas scribat, & in studio eloquentiæ quotidie sese exerceat, cum eaq; philosophiam conjungat.

Per

Per literas prestamus, ut unâ esse videamur, licet locorum intervallo simus disjuncti. (A)

Ad eloquentiam sine stylo & assidua exercitatione provenire non licet. (B)

Form. Objectionis & Responsionis ad illam. Grave, inq̃vies, onus imponis. (C)

Et mox: Neque ego is sum. (E)

NB. Copiosa vilitas, & vilitatem sequitur contemptus. (D)

NB. Eloquentia non est sejungenda à Philosophia. (F)

Rectè qui non intelligit, is ut rectè judicet, sperare non licet.

NB. Ut inanem multorum loquacitatem oderis: scilicet quorundam Sapientiam non amabis.

CUM Venetiis proximè discessi, ut in hanc solitudinem ex ita frequentia me conferrem; magna sanè lætitia perfruebar: & quod ad ea, quæ homini carissima sunt in vita, uxorem, ac liberos meos redibam; & quod mihi, otium ad studia, amenitatem ad valetudinem quærenti, hunc esse præter cæteros locum expetendum atq; adamandum intelligebam. Sed, ut in rebus humanis nihil est simplex in summa voluptate molestia tamen hoc erat, quod ita fortuna tulisset, ut, quo tempore tibi per anniversarias Patavini gymnasii ferias Venetiis esse & commorari licet, tum ego à te disjungerer, magnamq̃ue manendi cupiditatem maxima disce-

dendi necessitas vinceret. Nec verò mihi dubium est, quin cum meo sensu tuus quoque sensus congruat, & quæ me cura torquet, eadem te pungat. Vincere enim in officio atque amore quam sit turpe, si te non mea vox aliquando docuisset, ipsi te libri, unde hauris illa præclara, quibus ad laudem informamur, penitus erudirent. (A) Quod si, ut unâ simus, & tu, ut opinor, sperabas, & ego certè cupiebam, per intervalla locorum non licet: at, quod proximum est, ut unâ esse videamur, non video, cur, præstare literis, & consequi non liceat. Nam si propterea simul esse jucundum est, quia mutuo sermone fruimur: in literis non ego quidem tuam vocem audio, neque tu meam: sed, quæ voci subest res, eam nihilominus, quam unâ cum sumus, percipimus, hoc etiam majore cum fructu, quod aliquantò scribimus accuratius, quam loquimur, quare velim ad scribendum te des: & cum me tuæ consuetudinis usura, ob ingenii tui suavitatem, & sermonis elegantiam, mirificè capiat; hæc quæ in te amo, quæ nunc abesse doleo, fac, si me diligis, ne omnino desiderem. Debes hoc mea causa non nolle, tua verò maximè cupere. Nam, cum te aliquot abhinc annis in rectam illam antiquæ eloquentiæ viam dederris, patris tui, viri optimi ac sapientissimi, vocibus consiliisque commotus, Patruum verò clarissimi, ac præstantissimi civis, exemplo incitatus; turpe tibi est, in mediocri laude consistere; (B) & ad summam pervenire sine stylo, assiduaque exercitatione, non licet. Quid enim ille noster, cujus tu libros nunquam de manibus desponis, quid agebat? timere se,

se, nisi frequenter declamaret, ne, quod adeptus erat in arte oratoria facultatis, exaresceret. Attende, mi Paule, & tuam causam, à qua mea disjuncta non est, si placet, mecum considera. Ille sibi, homo Romanus, Latinæ orationis inopiam metuebat; cum tamen omnibus in hoc genere divitiis abundaret: nos, quibus Latina lingua peregrina est: qui in optima scribendi aut dicendi ratione rudes, & infantes pænè sumus, de summa eloquentia sine summo studio cogitabimus? & unam omnium difficillimam rem, eandemq; omnium gloriosissimam, ludibundi consequemur? Vides me ipsum, qui quid sim, ego quidem non statuo: sed sunt, quibus non esse nihil videar, nullum pænè diem intermittere, quin aliquid Latinè scribam? cum tamen, ex quo lapidem hunc volvo, annus jam vigesimus abierit. Est adolescens in vestra nobilitate, tibi non ignotus, mihi admodum familiaris: quem excellenti præditum ingenio, gloriæ cupiditate flagrantem, nisi à Romanæ eloquentiæ laude ad hujus maternæ lingvæ studium falsâ quædam opinio traduxisset, erat cur de illo sperarem ea, quæ summa sunt. Tantam enim operam in scribendo ponit, quantum tu vide licet in legendo. Sed neq; illi in summa industria judicii satis est, qui te Latinæ lingvæ dignitate non optimè sentire videatur: neq; tibi rectissimè judicanti, ad id ipsum quod probas obrinendum superpetit industria. Quare vellem, ut & tu illum in diligentia, & ille te imitaretur in sententia. Quod utrumq; si contingeret: nã ego vestra utriusq; laudi præclarè consultum putarem. Sed ille te suo consilio

filio viderit. Idcirco enim se non existimat errare, quia, quos sequatur, auctores habet eos viros, qui, quod optimum esse dicunt, in eo facile omnibus hominibus antecellunt. Te verò, qui mecum in iisdem ædibus per triennium ferè vixisti; qui, quicquid es, de meorum consiliorum praeceptorumque fonte fluxisti; cuius à laude mea laus quodam modo pendet; te, inquam, mi Paule, quantum in me erit, errare non patiar, teque, coactus amore & officiis tuis, hortari nunquam desinam, ut in veram ac sinceram eloquentiæ formam, cuius ego tibi excellentem pulchritudinem, duorum veterum oratorum exemplo, sæpè demonstravi, tuæ mentis oculos acriter intendas, eamque tibi à me veris, ut arbitror, lineis designatam, ut aliquando tuis scriptis, quasi coloribus, coneris exprimere. (C) Grave, inquit, onus imponis, & difficilem mihi laborem mandas. Fateor ita esse: addo etiam illud, non esse nobis optandum, ut aliter sit. Nam, cum omnium hominum in appetenda laude par propè voluntas, similisque sensus sit: quod omnes appetunt, id, si esset ejusmodi. ut consequi multi possent: quanti, obsecro, æstimares? (D) opinor, minimi; copiam enim vilitas & vilitatem sequitur contemptus. Quare non tibi est dolendum; quod de sudoribus manat gloria. Latare potius, quod, cum eam omnes amabilem esse valdeque expetendam sentiant, plerosque; tamen laboris magnitudo terret, & æmulandi studium rei difficultas imminuit. Est autem tibi ad hanc laudem, quo te voco, aditus eò facilius atque apertior, quod, quæ duo sunt ad comparandam eloquen-

loqu
nium
exce
adm
nis,
in te
sed
tern
sum
jung
tion
put
esse
um
rent
non
quo
paru
in se
mi c
stup
ben
mon
neq
ligit
ipso
tura
dies
gve
ris,
bis.

loquentiam instrumenta maximè necessaria, ingenium & memoria, utrumque sic tenes, ut in altero excellas, in altera iis, quæ excellere putantur, non admodum concedas. Hæc tu bona si languere finis, gratiam naturæ non optimam refers; quæ non in te benigna fuit, ut suum beneficium negligeres: sed ut ad decus, ad dignitatem, ad immortalem æternamque laudem conferes. (E) Neque verò is ego sum, qui te velim, eloquentiam à philosophia sejungere, totosque dies in hoc uno expoliendæ orationis studio consumere: erras, si me ita sentire putas. (F) Ego philosophiam divinum quiddam esse dico, indicem veritatis, magistram vitæ, omnium virtutum, omniumque laudandarum artium parentem. Sed idem ita statuo: si quis optimè sciat, non optimè loquatur, plerumque fieri, ut id ipsum, quod sciat, nescire videatur: & ut in conviviis non parum interest, quæ epulæ ratione condiantur, sic in sermonibus aut scriptis, magni refert, quibus animi cogitata verbis enuncientur. Quod si cui ita stupidus aut ita depravatus est sensus, ut ornata & benè structæ orationis suavitatem & tanquam harmoniam auribus non percipiat: hunc tu, si sapias, neque consules in re tua: quia, rectè qui non intelligit, is ut rectè judicet, sperare non licet: neque ipsum monebis, quia, quibus defunt principia naturæ, iis in utilem artem esse constat. Tu, si me audies, musarum vocem ab rusticano sono distingues, & ut inanem multorum loqvacitatem oderis, sic elingvem quorundam sapientiam non amabis. Qua in sententia video fuisse, quos viros? Platonem

tonem & Xenophontem: quibus ego plus crederem solis nutu significantibus, quam omnibus, qui nunc ubique sunt, philosophis cum jurejurando confirmantibus. Nonne vides magnum utrumque; tamen in hac, quam homines inepti reprehendunt, exornandæ orationis facultate ita præstitisse, ut eorum scripta cum legimus, nihil omnino purius, nihil elegantius, nihil illustrius fieri posse judicemus? à qua laude plurimum abfuisse, nisi temporis industriæque multum in eloquentiæ studio collocassent. Neque verò eloquentiæ studuissent, nisi, ex ea decoris ornamentique plurimum ad philosophiam accedere, tamquam ad formosam virginem à corporis cultu judicassent. Hos igitur ego te imitari malo, quorum nomina adhuc vigent, cum ipsi duobus abhinc annorum millibus obierint, quam istos, si qui sunt, qui te infirmis rationibus à pulcherrimo consilio conantur abducere. Perge, ut facis, in disciplina philosophiæ, in qua Patavii artificem habes eximium M. Antonium Genuam: eloquentiam verò, cujus, ut opinor, in via me ducem non contemnis, ne dimitte. Utrumque enim & debes, si tibi magna proposita sunt; & potes, si, quod me sæpè dixisse memini, diei horas aptè & cum ratione distribues. Vale, & patrem tuum, & patrum quos ego plurimi sanè facio, & communes amicos meo nomine saluta, Ex Plebe Sacii. 1556.

CHRI-

CHRISTOPHORO MADRUTIO
CARDINALI MEDIOLANUM.

EPIST. XII.

Gratulatur sibi de favore & benevolentia Ma-
*drutii.**Præclarum est à Principe laudari. (A)**Laus Madrutii Card. (B)*

AUDIO te de nobis & loqui, & sentire perhonorificè, præclarum hoc est, (A) laudari à principe viro, & ab eo principe, qui cum fortuna virtutem ita conjunxerit, ut in utraqve pariter emineat. Atq; ego te semper antea; cum nunquam essem, allocutus, nunquam vidissem, tamen vehementer colui. Movebar tuis præstantissimis actionibus, hominumq; constantini sermone, omnia de te summa prædicantium. Neq; verò, si quis in te laudaret opes, aut nobilitatem, aut dignitatem, admirabar. Communia multorum hæc sunt, optabilia potius, quàm laudabilia. Sed illa, quæ tua proprie sunt, cum audirem: (B) unum esse Christophorum Madrutium, qui virtutem ipse coleret studio singulari, in aliis ornaret præmiis amplissimis, omnesq; liberales disciplinas (fato quodam temporum dicam, an hominum injuriis? exulantes) exciperet, amplecteretur, foveret: qui deniq; solidam gloriam, spectaret, inania, quæ multi sequuntur, contemneret; hæc ego cum audirem, incitabar studio meo

ti-

tibi singularis erga te observantia declaranda: sed obstreperere literis inanibus tali viro, præclaras Italæ urbes, multorumq; populorum fortunas non potestate magis, quàm iustitia, tuenti, hominis esse vel inepti nimis, vel impudenter ambitiosi existimabam. Nunc autem, cum ad me sermones tui, mea cum laude habiti, referantur; occasionem cupidè complector, quàm mihi tua liberalitas offert: tibiq; gratias, quas possum quidem, ago, habeo autem certè maximas, atq; immortales; tum quòd ornes me testimonio iudicii tui, quod apud omnes valere plurimum intelligo: tum verò, quòd isto officio, ista tam præstanti humanitate quasi fores mihi aperueris ad amicitiam tuam. Qua quidem ego me, si minus alia re licebit, perpetuo certè, ac singulari erga te studio assiduamq; tuarum virtutum prædicatione, dignum præstabo, quod cum antea fecerim, iudicio meo commotus: faciam tamen, imposterum alacrius, ac diligentius tua humanitate incitatus, quàm semper eandem in me futuram, non magis constantiæ ratio, quàm naturæ tuæ benignitas, mihi persuadet. Vale. Venetiis. 1557.



ROMU-

uebat
none
natur

Q
to; f
ut a
Q
non
texe
cum
mod
per:
quid
man
fit; f
argu
teræ
exfi
quid
exer
fital
tum
quor
atter

ROMULO CERVINO
PATAVIUM.

EPIST. XIII.

Didascalica; refutat Cervini sententiam, qui dicebat, se non posse sine argumento scribere, eumq; monet, ut etiam levissimis quibusq; pro argumento utatur.

QVod tu persæpe qveri solitus es; id mihi nunc accidit, ut epistolæ prorsus careant argumento; sed ego tamen non committam, quod tu soles, ut argumenti me inopia deterreat à scribendo, Quin vide, quàm diversa ratio sit, tu, cum sententiâ non habes, valdè tibi ais laboriosum esse epistolam texere; ego nunquam facilius soleo scribere, quàm cum nihil habeo, quod scribam. At, inanes hujusmodi literæ sint, necesse est. Primum, hoc non semper: quandoq; enim accidit, ut nihil dicentes, aliquid tamen dicamus: &, ut in fidibus est quædam manus aberratio sine arte, in quo tamen ipsa ars sit; sic in epistolis argumentum quandoq; est sine argumento, itaq; non semper inanes hujusmodi literæ: siquidem in iis solet aliquid nonnunquam exsistere, quod pondus habeat. Sed fac inanes esse; quid refert? non hoc spectamus; id sequimur, ut, exercitatione duce, eò perveniamus aliquando, ubi fitalaus videatur eloquentiæ. Quod si nobis tantum in hoc proficere non licet, ut veteribus illis, quorum est purissima oratio, similes esse possimus: attendemus tamen, si possumus nostris, qui inveni-

natè loquuntur, dissimiles esse. Quod, ut opinor & multum, & sæpè scribendo consequemur. At noli putare, semper in eo nobis esse elaborandum, ut philosophemur in epistolis. Graves sententiæ probantur: fateor: sed nunquid hoc uno Latina lingua continetur? me quidem Cicero noster paulò minus interdum delectat, de jocis cum agit, quam de turpi, & honesto, cum disputat. Utrobique enim sunt ornamenta: & utrumque sæpe necessarium est: itaque ad utrumque me do, teque, ut idem facias, etiam atque etiam hortor, cumque res non erit, de qua scribas; tum tu, si me audis, vel levissima quæque ex omni parte, ex omni genere arripies, & iis pro argumento utere. Hoc autem quatenus agas, aut cum quibus agas, tibi non præscribo: cujus tanta prudentia est, quandam ætas ista, qua nunc es, capere vix potest. Summa sit, ut & cum argumento & sine argumento sæpissimè scribas. Vale. Romæ.

FRANCISCO GONZAGÆ,
PATAVIUM.

EPIST. XIV.

Queritur, quòd, morbo oculorum impeditus, non possit Patavium ad salutandum Gonzagam advolare, à quo humanissimè per literas sit compellatus.

ODi panè meos oculos: etsi oculi sunt, id est, omnium rerum carissimi: sed odi certè pejus, quàm antea, hunc morbum, quo mihi nunc tuus adspectus, tuus complexus, eripitur. Advolare enim ad te, si valerem: nihil me moraretur;

nihil

nihil effereanti. An cum tu, magni principis filius, familia natus Italicarum omnium nobilissima, nec jam à majoribus tantum, sed à te ipso clarus, Mantua me, humilis hominem loci, nondum de facie notum, literis humanissimis tua sponte salutandum putaveris; ego, cum Patavii, hoc est, prope in conspectu meo, sis, non accurram ad te? facerem: sed soluta voluntas non est: impeditur enim valetudine. Solatio tamen hoc, in magno dolore, sustentor, quod futurum brevi non despero, ut convalescam. Concurrent simul anni tempus, assidua medicorum cura, mea summa, continentia. Hæc si proficient; adibo ad te, nulla interposita mora. Opto enim, quæ inter nos mutuo literarum officio conglutinata amicitia est, eam paulo arctius mutuis sermonibus, mutua consuetudine adstringi. Sin hærebit morbis; obsecro te, largire hoc vel meæ in te observantiæ, vel humanitati tuæ, ut omnino tuis literis ne caream: quas ego meis quàm potero creberrimis dabo operam ut eliciam. Mitto ad te librum meum de Romanis legibus, proximè rogatum multorum editum. Cupio legas, cum hoc tamen, si vacat. Nam, avocari te à studiis gravioribus mea causa, nolo. Cupio etiam, cum legeris, probari tuo iudicio nostram industriam. Sed hoc me cupere, rogare ne puta. Volo tibi esse liberam in utramque partem iudicandi facultatem. Nihil mihi tribue: rem ipsam pende suo merito, ac statue de tuo sensu. Nec enim is ego sum, qui plus amicitiae dari postulem, quàm veritati; nec tu is es, qui si postulem, facile concedas. Pergam ad reliqua,

D

hæc

hæc si tibi, tuique similibus non improbari cognos-
vero. Vale. Possevino salutem, rarissimo juveni, cu-
jus heri epistolis respondi. Venetiis.

ANTONIO POSSEVINO PATAVIUM.

EPIST. XV.

*ARG. Possevinum ad se scripsisse letatur, eumq; ad
virtutem hortatur fratris exemplo, & laudat.*

GRatus, & jucundus admodum amoris, qui te
in eam mentem impulit, ut officii, gratia ad
me scriberes. Quid enim aliud existimen? cum
argumentum res quidem ipsa tibi nullum daret.
Ingenium verò mirificè tuum amavi, amplexatus-
que quantum licuit, animo sum, quòd raptim, &
ut ad hominem familiarem, familiariter cum scri-
beres, epistolam tamen confeceris elegantissimam,
distinctam luminibus eloquentiæ; in qua non fu-
catus, sed verus, ac tanquam naturalis Romanæ
linguæ color eniteat. Macete, Possevino, fratre jam
major, juvene eximio: urge totus in studio litera-
rum, vides, quæ te manent præmia, gloriam habes
proximam, eamque pænè manibus attingis. Paululum
si te incitaveris, apprehendes. Non mehercule,
quia nolis, dico: sed, ut intelligas quantum cupiam,
propterea dicendum putavi. Faveo enim omni-
bus, qui rectè sentiunt, recteq; faciunt: in te verò
mea præcipua & est voluntas, & esse debet: Scis,
quintum abhinc annum, Romæ, cum te frater tuus
adolescens adduxit ad me, quibus verbis com-
men-

mendaverit, amicitia junxerit, & veluti in cliente-
 lam tradiderit. Ex eo tempore, quoniam adesti ad
 me, quos tecum habuerim sermones, quam studi-
 ose, quam amanter ad illa præclara, quæ frater tu-
 us amabat, sum cohortatus, potes recordari. Dixi
 sæpè, non esse tibi de fortunæ bonis cogitandum;
 quæ vel improbi malis artibus quærerent, vel bo-
 nis viris rectè quæsita facile casus eriperet, ostendi,
 verè & esse appellari divitem posse, qui liberalium
 doctrinarum scientiam possideret. Non neglexi-
 sti: contulisti cogitationes omnes tuas ad studium
 veræ laudis, & in eo nunc apud Franciscum Gon-
 zagam, nobilissimum, ac virtutis amore incensum,
 adolescentem, ita versaris, ut propemodum videar-
 is excellere. Quare gratulator equidem fratris
 tui manibus; quos lætari arbitror summopere,
 qui talis es, & quia fore tantus videris, quanta potest
 esse virtus maximo ingenio, acerrima voluntate,
 summo studio comparata. Nec verò, quod epi-
 stola tua significat, me tibi sunt aut ad illum for-
 tunæ accessionem, aut ad dignitatem studia expe-
 ctanda. A te ipso, mihi crede, omnia profiscen-
 tur. Virtutem si habes, nihil desidera. Ea pro te
 prensabit: ea tibi omnes honores, omnes, quas pe-
 tieris, opes impetrabit. O præclaram vitam ducem!
 te felicem, Posservine, qui cum hac vivis, & viven-
 dum statuis: me miserum, qui, cum idem sentiam,
 cogor tamen eam à me disjungere, victus gravita-
 te morbi, & iis curis, quæ invitum alio traducunt.
 Quod si me Deus aliquando respexerit; acquiescam
 in us studius, quæ sola sunt ad naturam meam, sola

tranquillitatem animis afferunt, hominemq; paulatim ab homine separant, & quantum licet, cum Deo coniungunt. Vale. Venetiis.

HIERONYMO LIPPOMANO, VENETIAS.

EPIST. XVI.

Respondet Lippomano, quid de beneficio in se collato ei gratius egerat, idq; non beneficium, sed officium tantum, & quidem debitum fuisse ostendit.

Item gratulatur sibi de amore Lippomani, quam libris significavit.

Formula extenuandi officia vel beneficia sua alteri praestita. Ibi: Quod verò ais nescio quid &c. (A)

Item queritur de sua & fratris adversa valetudine, item de uxoris periculoso morbo, rogatq; ut secum aliquid solatii per literas communicare velit. (B)

BRevis epistola tua, sed habet multa suavia. Primum significas amorem in me tuum, quo quid gratius? nam, amari à nobili adolescente, propinquitatibus, amicitiiis, opibus florentissimo, optabili est: ab eo verò adolescente, cujus ad animi bona comparanda mens omnis, & cogitatio, dirigatur, qui scientiam literarum ita expetat, ut inani tamen ambitione prorsus vacat, nihil ad se ipsum, ad summum Deum omnia referat; hoc verò ejusmodi est, quod qui assequitur, triumphat. Itaque ego vehementer mihi gratulor de amicitia tua: quam cupio esse perpetuam: & ut sit omni e-

qui

quidem studio, omniqve erga te observantia laborabo. (A) Quod verò ais nescio quid de beneficio in te meo: mi Hieronyme, noli tantum largiri modestiæ tuæ, ut vocabulis parum propriis, nec satis cum re congruentibus utare, quod enim tu beneficium appellas, ego verius officium, & officium ejusmodi, quod prætermitti à me sine gravi culpa vix posset. Rogabas, ut consulerem studiis tuis: impetrasti facilè, & curari libentissimè. Quod enim tribuere uni tibi videbar, id non tam tibi tribuebam, quàm literis, quàm virtuti, quàm consuetudini, & naturæ meæ, amplector tamen istam humanitatem: quæ tibi non modò benevolentiam conciliat, verum etiam laudem parit. Nam ut extenuare, ac dissimulare, quæ acceperis, beneficia, jejuni animi est, & perangusti, ac sordidi: sic, ea verbis augere, palamqve profiteri excelsi, atqve ampla spectantis hominis est; & ad liberalitatem, id est, ad decus, & ad gloriam, nati. Conjunge, quæso, istam mentem, atq; istam sententiam cum doctrina, & cum iis studiis, ad quæ te vocat illustre domesticum exemplum Veronensis Episcopi, patru tui: quem vides aversum penitus à studiis rerum humanarum, eaq; contemnentem, quæ cæteri admirantur, totum esse in una virtute defixum, & divinam consuetudinem, quatenus homini liceat, imitari. Itaqve nunc ejus sapientissimis consiliis, ac sanctissimis institutis eximiaq; doctrina, magna ex parte Romana nititur Ecclesia. Hunc tu ducem si sequêris, & in ejus vestigio pedem pones: non errabis in hoc dubio vitæ cursu, non labêris in lubrica juventutis via.

Quod te facere jam, lator; facturum etiam multò in posterum diligentius, confido. Atq; ego, quando mihi licere apud te tantum vis, langvere te præclaris in studiis non patiar. Hortabor literis, dum abero; præsens sermonibus excitabo. (B) Nunc me cupidum urbis tuiq; maximè, ac paucorum, tui similibus, tenet tamen in his locis uxoris meæ morbus: de qua jactor variè, tanquam fluctibus, modò spe, modò metu. In una tantum cogitatione videtur animus consistere, & quietem aliquam capere, cum quasi secum loquitur, & commemorat ipse sibi necessitatem illam rebus omnibus impendentem, ut animata intereant, creata dissolvantur. At est dolendum, si quem viribus atateq; florentem immatura mors oppressit. Ita, si mortem in malis, vitam felicitatis loco statuas. Quod qui existimat, refellitur exemplis. Quàm, multis enim, diu vivere, miserrimum fuit? Hæc quàm diu cogito, videor acquiescere, satisq; leviter incommodi mei gravitatem sustineo. Sed certè nimis acerbè fortuna mecum egit, quæ me, de me ipso, ut scis, ac de mea valetudine sollicitum, alienis etiam malis implicuerit. Benacum petere statueram, non licuit, neq; forsitan licebit: Asulæ quidem, oppido satis eleganti, ubi magnam pueritiæ meæ partem traduxeram, omnes mihi jucunditates, omnia gaudia tum in fratris convictu, tum in veterum amicorum consuetudine fixeram. Cecidit contrà. Frater enim ægrotavit diu, neq; dum firmus est: amicis autem qui possum frui, cum uxorem, multorum dierum morbo confectam, nunc incertâ vitæ spe animum

tra-

trahentem in oculis habeam? De me ipso, ac de meo reditu, noli expectare dum scribam. Vides me alienis miseris esse miserum: meam non esse liberam, aut solutam voluntatem, intelligis: nisi si meos deferere, id est, ab omni prorsus humanitate velim desciscere: quod profectò nunquam committam. Quod si nostrorum animorum sensus, & nostra consilia Deo patent, ut certè patent: amat, opinor, pietatem meam, eaque non dubio, quin mihi vel opem ab eo celeriter impetret, vel hoc saltem, ut quidquid evenerit, moderatè feram. Profectò enim ex uno illo fonte omnis nostra fortitudo manat, omnisque sapientia. Alioqui facillè frangimur, & facillè aberramus à verò, insidiosis voluptatum, illecebris abducti, & rerum mutabilium fallacissima specie decepti. Quæ tu, multò plura, cum audieris sæpè de patruo tuo, qui cum ab ineunte pueritia in iisdem ædibus, atque in eodem pane cubiculo vixisti: si quid hujus generis mihi nunc, multis difficultatibus ac molestiis circumvento, literis imperties; habebò à te manu aptissimum meo tempori, dignum amicitia nostra, dignum verò maximè ea persona, quam tu sustines: qui te sacris addixisti, semper ut benè ageres, aut benè cogitares. Vale; & ad Episcopum Veronæ designatum, quem vidi nunquam, de fama tamen cognitum, studiosè colo, obsecro te, cum scribes, meo nomine salutem plurimam. Asulæ. 1556.

PAULI MANUTII
EIDEM VENETIAS.

EPIST. XVII.

Expostulat cum Lippomano, quod callidè & fraudulenter secum egerit. Videtur autem cum illo tantummodo joculari.

Formula exprobrandi, &c. Nunquam putavi fore. &c.

Nunquam putavi fore, ut injuriam acciperem in beneficio, præsertim à te, cujus in fronte, oculis, vultu habitare videtur humanitas. Benignè mecum, & liberaliter agere, quod est proprium familiaritatis magnopere te decuit: Idque adeò postulabat amicitia nostra: callidè verò agere, & ficta veritatis imagine fucum facere, neque te dignum fuit, ad præclara laudandarum rerum studia ex nobilissima familia nato, neque verò me, tui studiosissimo, de tua bonitate, tuisque moribus egregiè non modò sentiente, verum etiam prædicante Astutiae præstantibus viris nunquam placuere. Apertam, simplicem, rectam in omni vita consuetudinem sequuntur. Quo ego te in numero quia credidi esse, & quia, ut esses, curare non mediocriter debuisti; ideo sum in fraudem facillimè inductus, & illo tuo figmento, quo nihil unquam gustavi suavius, abstinerui perinuitus. Meæ tamen incitiæ eò me pudet minus, quia sequitur amorem credulitas, & ita vitium laude corrigitur. Noli igitur me, quasi rudem quendam, & prorsus earum epularum, quæ novo quodam artificio congiuntur, imperitum contem-
nere

mnere. Pœnarum satis in ipsa re tuli: quàm rejeci
 quasi noxiam; cum esset ejus generis, ut me docuit
 heri vesperi Sebastianus noster, unde simul possem
 & alimentum capere, valitudini meæ vehementer
 aptum, & palatum oblectare, quantum antea for-
 tasse nunquam, restitue nobis tuam fidem. Liceat
 mihi meum errorem tuo beneficio corrigere. Ma-
 gna res non est: magnopere tamen commotus,
 vel incititia mea, vel malitia tua: quæ vicit omni-
 no, vel fefellit potius opinionem meam. Id si mo-
 lestè fers; non longè abest mei leniendi facultas:
 si modò animum tuum induxeris, ut id, quod po-
 tes, etiam velis. Quod si secus acciderit: prædi-
 co tibi, culpam exiguam graviter lues: neque te,
 mellitis placentulis, quibus me munerari solitus es,
 absolvam, sed ea pœna condemnabo, cujus etiam
 nomen cum audieris extimesces, interim sustineo
 me, dum muto judicium de te meum; quia te spe-
 ro rationem utriusque nostrum habere velle. Cu-
 pio tecum coràm jocari, & simul ad spectu illo tuo
 jucundissimo frui. Vale. E cubiculo meo, ante
 lucem.

E IDEO ROMAM.

EPIST. XVIII.

*Respondet Expostulationi vel Querele Lippomani,
 & excusat se de literarum raritate; idem crimen ipsi
 impingens, qui magis otio abundet. Deinde etiam
 excusat se, quòd dolorem ejus ex obitu patris percer-
 ptum*

ptum litera non lenient, eumq; hortatur, ut patris imaginem sibi ante oculos ponat. &c.

CUm in magnis molestiis hæc una me res delectare non mediocriter soleat, quod amicitias à me diligenter coli, nec unquam officium contemni ipse mihi sum conscius; legi perinvitus eam partem literarum tuarum, in qua me, ut immemorem promissa appellas, atq; etiam, ut oblitum humanitatis, leviter accusas. Ego tuæ familiæ nobilitatem, egregiaq; tuorum majorum decora, pro eo ac debui, semper suspecti: te verò ipsum præditum iis bonis, quæ nobilitatem omnem vincunt, amavi prorsus, à quo die mihi cognitus es, amore singulari. Hanc immutari in me voluntatem, ita etiam si te mihi casus aliquis immutet, neque consuetudo mea, neq; natura pateretur. Quod equidem antea tibi certum esse, atq; exploratum arbitrabar: nunc, quando subdubitare te video, significandum putavi, ne posthac unquam suspensiones istiusmodi, planè meo erga te studio, mehercule etiam tuæ bonitate indignas, mearum epistolarum afferat infrequentia. Qvanquam, si tuum otium cum meis occupationibus conferatur, non intelligo, cur ego tuam in scribendo valdè laudare diligentiam, tu meam reprehendere negligentiam debeas. Satis, nisi fallor, statum rerum tuarum habeo cognitum: tu me scilicet videris ignorare; nam si nosses, & exigeres tamen id, quod præstare vix possum; esses iniquior. At erat amoris nostri, lenire literis dolorem tuum in obitu patris, summi viri; sit ita, veruntamen abs te postulabat idem amor, ne officium à me

me illud sine causa prætermitti, animum induceres. Primum ego te, per aliquot annos domestica sanctissimi hominis disciplina institutum; putabam, humana omnia contemnere; mortem verò, quæ sempiternæ vitæ initium est, etiam in bonis ducere. Quod si frangimur humanis, aut commovemur saltem; certè enim à stipite, à saxo, à ferrea materia longè distat hominis natura; quis tamen ab afflictio solatium expectat? aut quis me minus tranquilla experitur omnia: quæ si tibi nota sint, profectò me liberes ab omni culpa, & cupias revocare queresam tuam. Neque verò, si vigeat animus, & perferat adversa, ita valemus ingenio, ut consolandi partes, quæ doctrinæ plurimum; & sapientiæ postulant, audeamus assumere. Non hæc in nobis facultas est: quæras eam aliunde licet; si modò, ut significas, quod mihi tamen haud omnino persuades, in te ipso non est, qui & acuere mentem liberalibus studiis, & augere prudentiam usu rerum, ac præstantium virorum sermone potuisti. Quæ si absint, ut abesse à me magna ex parte fateor; tamen ille ipse, qui tibi luctus causam attulit, idem à luctu te remonet exemplo vitæ suæ, cujus abesse nullam partem à constantia, & à virtute reperies. Hunc igitur tibi unum ante oculos constitue: sige ad ejus imaginem quicquid cogitas, quicquid agis: noli oculos ad vulgi depravatam consuetudinem flectere. Ita consules egregiè rationibus tuis: & illud rectè instituenda vitæ consilium, quod à me requiris, nusquam esse præstantius, quam in te ipso cognosces. Vale. 1560.

EPI-